



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Decisiones Rotaes In una Leodien. Decanatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

DECISIONES ROTALES

In una Leodien. Decanatus.

PRIMA

Coram R. P. D. Manzanedo. Veneris.
26. Februarii 1627.Electio
Decanatus
valida de-
claratur.

N I.



Acante Decanatu Ecclesie Collegiate S. Bartho-
lomæi Leodien. Capitulum & Canonici dicte
Ecclesie in Decanum elegerunt D. Ioannem Sau-
neur, qui presentata electione Capitulo Cathe-
drali Leodensi, ab Episcopo petit confirmati-
onem illius, sed quia pro parte D. Ioannis Novi-
lia fuit oppositum de invaliditate electionis, ideò causâ in Rota intro-
ductâ, & mihi commissâ, dubitavi an constaret de illius validitate, & Do-
mini constare responderunt, & moti fuerunt ex eo, quod d. Ioannes Sau-
neur non solum habuit maiorem partem votorum respectu totius Capi-
tuli, prout requiritur ad effectum, ut quis dicatur canonicè electus à
maiori & saniori parte Capituli, ad text. in c. Ecclesia vestra. 48. de elect.
ubi Abb. n. 4. & conf. 25. n. 4. lib. 2. Franc. Marc. decis. 922. n. 3. lib. 1. Sed
etiâ habuit omnia vota, ut legitur in instrumento electionis, de quo in
summario d. Ioannis n. 1. unde negati non potest, quin appareat de vali-
ditate electionis, uti factâ à maiori parte Canonicorum, à Canonicis
congregatis more Collegii, ad trad. per Dec. in c. cum omnes. 18. in prima
lect. de constit.

Cui non
obstat c.
quia pro-
pter de e-
lect. ut po-
te in digni-
tatis
inferiori-

II. Nec visum fuit Dominis obstat dispositionem text. in c. quia pro-
pter. 42. de elect. cum præscripta ibi forma procedat solum, & sibi locum
vendicet in electionibus Ecclesiarum, quæ per mortem Prælati vidu-
antur, ut notat ibi gloss. 1. & ibid. Abb. n. 7. vers. circa istam partem. &
vers. in hanc partem. ubi testatur de communi. Io. Andr. n. 6. Butr. n. 19.
Imol. n. 3. vers. sed non habet locum. Franc. Marc. decis. 924. n. 1. lib. 1.

Et in

Et in puncto, quod dicta forma non sit servanda in electione dignitatum inferiorum dicit *Abb. ubi supra. n. 7. vers. iste autem. Imol. d. n. 3. Franc. Marc. decis. 920. n. 3. & 4. lib. 1.* ex quo sequitur, quod licet Capitulum voluerit eligere per viam Scrutinii, non erat servanda in dicta electione forma *d. c. quia propter.* cum non agatur de prima dignitate Collegiatæ, ut constat ex litteris *Sixti V.* ex fide Curialium, de quibus in dicto *summario Ioannis num. 2. & 3. Garcias de benef. par. 1. c. 6. n. 20.*

*hos locum
no habens.*

III. Minus obstat, quod Scrutatores non publicaverint electionem iuxta præscriptam illis formam in Compromissio; quia cum publicationem electionis Capitulum commiserit Scruatoribus & directoribus, potuit illa fieri per unum ex illis, qui cæteris præsentibus, iure optimo potuit publicationem electionis facere. *ad text. in c. sicut. 21. de elect. in 6. & tantò magis, stante præsentia & acquiescentia ipsius Capituli, dum Decanus S. Pauli unus ex compromissariis, tam nomine suo, quam aliorum omnium publicavit in Decanum D. Ioannem Saunneur;* ex quo resultat non solum ratificatio gestorum per Decanum S. Pauli, quibus Capitulum tacendo videtur consensisse, ut in puncto *gloss. in d. cap. sicut. verb. per unum. Abb. in d. c. quia propter. n. 11. Specul. tit. de elect. §. 1. n. 2. vers. si autem. Franc. Marc. decis. 924. n. 2. Petr. de Bassio. in direct. elect. par. 3. cap. 33. n. 4.* qui DD. loquuntur, quando publicatio debet fieri ab eo, qui non est de Capitulo, ut in casu nostro, sed etiam declaratur & cognoscitur, quid & quomodo per d. Capitulum S. Bartholomæi Scruatoribus ac directoribus fuerit ordinatum & dispositum.

Publicatio electionis potest fieri ab uno Scruatorum,

IV. Denique non obstat, quod instrumentum electionis, ex eo quod careat testibus, non videatur in forma probanti, cum talis defectus suppleatur ex subscriptione directorum, præsertim cum adfuerit unus testis, & Notarius, qui loco alterius testis habetur, nec non tot Canonici, qui sic & tanquam partes & interesse habentes considerentur, nihilominus visum fuit Dominis sufficere pro talis defectus supplemento.

Instrumentum electionis subscriptum à directoribus est in forma probanti.

V. Ex quibus censuerunt Domini electionem fuisse validam, reservant tamen super electi idoneitate particulariter videre.

Conclusio pro validitate electionis.

SECUN-

SECUNDA.

Mercurii 10. Decembris 1627. coram R.
P. D. Pirouano.

Decisio al-
tera prioris
confirmata
soria.

N. I.



Esolutū fuit, standum esse in decisio in hac causa 26. Fe-
bruarii preteriti 1627. quia *Sauvent* docet de suo titu-
lo, nempe valida electione, nedum quia habuit maio-
rem votorum partem respectu totius Capituli ad ca-
nonicā electionē necessariā *c. Ecclesia vestra. 48. de elect. ubi Abb. n. 4. & conf. 52. n. 4. lib. 2. Dec. in c. cum omnes. 18 in 1. lect. n. 7 de constit. Franc. Marc. decis. 922. n. 2. lib. 1.* Sed omnes de Capitulo concurrerunt ad eandē ele-
ctionem, ut clarē colligitur ex instrumento electionis, quod datum fuit in
eius *summario*.

Nec obstat
c. quia
propter.
uis in su-
ppacitata
decisione.

II. Non obstat, quod electio sit nulla, ob non servatam formam *c. quia propter. 42. de elect.* circa votorum eligentium, & ad invicem ipsorum
Scrutationem, & ipsius electionis publicationem, quibus circumscriptis,
electio invalida remanet, *Innoc. Hostien. Abb. Butr. in d. c. quia propter. & late fuit comprobatum in Treviren. Abbatis. 20. Novembris 1624. coram D. Decano.* quia decisio respondit dispositionem *c. quia propter.* non se
extendere ad inferiores dignitates in Collegatis existentes, prout est Deca-
natus, de quo agitur, *Abb. in d. c. Ecclesia vestra. n. 7. de elect. Imol. ibid. n. 3. Franc. Marc. decis. 922. n. 3. lib. 1.* ea ratione, quia Ecclesia non videtur
per inferiores, sed per primam dignitatem, *gloss. Abb. Io. Andr. Butr. Imol. in d. c. quia propter. Fran. Marc. d. decis. 922. n. 1. lib. 1. Garcias de benef. par. 1. c. 6. n. 19. & 20.*

Quia De-
canatus
non est
principalis
dignitas.

III. Non obstat, quod hæc Decanalıs dignitas sit principalis in Ec-
clesia S. Bartholomæi, in qua contigit vacatio, & de qua agitur, ut propter
ea supradicta retorqueantur, & intrant pro invaliditate electionis, quia vi-
sum fuit *Noviliam* impetranter sufficienter non iustificasse hanc qualita-
tem, prout ei necessarium erat, dum obijcit defectum formæ non servatæ
in electione, *Rota decis. 8. & 9. de except. in nov. & decis. 353. n. 8 & 9. cum ibi addit. num. 18. coram Papa Gregor. XV.*

Quod &
Probant
testes in
hac causa
producti.

IV. Nam si probatio maioritatis huius Decanatus deducatur ex testi-
bus datis per *Noviliam*. *Primus* quidem deponit explicitè Decanatum esse
se primam dignitatem, alii verò duo consentiunt Præposituram esse pri-
mam di-

nam dignitatem; nam *secundus* iuxta 19. dicit in Collegiatis Leodiensibus adesse duas dignitates, scilicet Decanatum & Præposituram, & primam dignitatem esse Præposituram. *Tertius* verò iuxta 21. pariter respondit in qualibet Collegiata Ecclesia adesse duas dignitates, Decanatum & Præposituram, primam verò dignitatem esse Præposituram, & habere sedem in digniori loco, quando ad chorum accedit, quamvis rarissimè soleant facere: & hæc probatio per testes conquassatur, quia duo destruunt dictum unius, & probant plenè contra inducentem, sicut pro eo etiam probationem impleverunt, *Rota decis. 594. n. 2. par. 3. divers. & decis. 747. n. 6. part. 2. recent.* quod idem fuit dictum in *Banoniens. portoni. 8. Martii. 1610. coram D. Patriarcha Pamphilio.* Nec vis facienda est in distinctione iurisdictionum, quod scilicet Præpositus non habeat iurisdictionem in spiritualibus, ut dicunt iidem testes, sed solum cognoscat causas laicorum delinquentium, quia iurisdictione non distinguit prioritatem dignitatum, sed locus nobilior, qui est prima sedes post Pontificalem, quam testes admittunt esse Præpositi, *gloss. in c. quam periculosum. in vers. primatus. 7. q. 1. Felin. in rubr. n. 8. de maior. & obed. Boer. de auct. magn. cons. 79. Cassin. in catalog. glor. mundi. par. 1. cons. 10. Tiraquell. de iur. primog. in prafat. n. 13.* Et similiter non relevat, quod Decanus habeat curam animarum, inferendo per eam ad primatiam dignitatem, quia ex dictis eorundem testium, cura non est apud Decanum in proprietate, sed quoad exercitium, dum eo mortuo, vel absente, Capitulum providet de vice-Decano; & idem est de iure, quod cura in Collegiatis sit penes Capitulum, *Put. decis. 290. lib. 1. Rota in recent. decis. 340. par. 2. Gonzalex ad reg. 8. gloss. 6. n. 71. & seq.* ut propterea non vacante proprietate curæ, non etiã ex hoc capite possit inferri ad viduationem Ecclesiæ.

V. Si verò hæc maioritas Decanalæ dignitatis fundatur de iure communi, hoc pariter non probatur, sed contrarium ex *decis. 4. vers. ego verò dicebam. de elect. in nov. & ibi Papa non asserens Præposituram esse principalem dignitatem, tribus concurrentibus. Primò*, quod sit electiva. *Secundò*, quod habeat administrationem temporalium. *Tertiò*, quod habeat prærogativã in sedendo. Quæ omnia concurrunt in præsentem ex dictis testium *Novilia.* & hæc attetã consuetudine, quæ in Germania viget, ut Præposituræ sint primæ dignitates in Collegiatis, in Francia verò Decanatus, de qua testatur Compilator decisionis, cui multum Domini detulerunt, cum esset auditor Rotæ insignis: & ulterius visa fuit sufficienter comprobari hæc consuetudo ex attestatione *Sixti IV. & V. & aliorum in Concordatis experimentium* hanc Ecclesiam S. Bartholomæi, & Præposituras esse primas dignitates, quæ attestationes referuntur etiam per *Chokier Leodien. in suis comment. ad reg. Cancell. reg. 3. n. 16.* Et dantur duæ electiones de hac

Idem consuetudo in Germania confirmat.

Qua hic
neceditur.

Præpositura, tanquam de prima dignitate in Collegiata S. Bartholomæi.
VI. Non obstat, quod eadem decisio 4. in nou. de elect. contrarium de iure determinet, quia semper obstat consuetudo allegata per Compilato- rem & supra ex aliis comprobata. Neque decisiones *Burgen. iuris Præsidentia*, primò coram D. Patriarcha *Pamphilio*, quæ est 533. n. 4. par. 2. recent. & deinde in eadem coram Domino meo *Merlino* 18. Iunii 1627. contrarium disponunt; quia prima dicit Decanatum esse dignitatem sub n. 4. quod non controvertitur, & sub n. 5. firmat, ubi non adest Archipresbyter, succedit in eius locum Decanus, & hoc admittitur, sed quando in eadem Ecclesia adest Præpositus & Decanus, & quæstio est de prioria, nihil dicit, prout nec secunda decisio hoc tangit. Et quæ deducuntur ex historia *Molani de Canonicis. cap. 4. & poemate Decani S. Pauli*, vel nõ sunt attendenda in hac quæstione de maioritate, vel si aliqua fides esset adhibenda, illa diminuitur & annihilatur ex testibus, & ex instrumentis electionum datis, attestazione Compilatoris, & generalitate qualitatis Præpositurarum Germaniæ, quæ sunt primæ dignitates in Collegiatis, ex supra deductis: ita ut assertio illorum conquassata remaneat ex contrariis allegatis, & penitus irrelevans, *Rota decis. 160. n. 12. par. 1. recent. & in Maioricen sacristia 5. Novembris, 1603. coram Cardinale Pamphilio. Gratian. discept. 893. n. 26. & 98. n. 26.*

Et sufficit
publicatio
per unum
ex Scrutatoribus.

VII. Demum non obstat, quod si etiam admitteretur Decanatum non esse primam dignitatem, nec per consequens subiacere illius electionem formæ c. quia propter. nihilominus esset servanda forma præscripta in Compromisso, etiam si forma non fuisset de iure necessaria. *Innoc. in c. si cui. 23. & ibi Franc. post Archid. & Io. Andr. n. 2. de elect. in. 6.* propterea cum publicatio electionis facta non fuerit ab omnibus deputatis in Compromisso, sed tantum à Decano S. Pauli, dicebatur electionem corrui. Quia decisio causæ respondit sufficere publicationem esse factam ab uno ex Scrutatoribus aut Directoribus in compromisso nominatis, cæteris præsentibus. c. sicut. 21. de elect. in 6. & quod magis est, Capitulo præsentibus & acquiescente; quæ acquiescentia succedit loco ratificationis

gestorum per Decanum S. Pauli, *Specul. in tit. de elect. §. 1. n. 20. cum aliis in eadem decisio-*

one causæ allegatis. Et:

ita &c.

TERTIA

TERTIA.

Mercurii 14. Iunii 1628. coram R. P.
D. Pirovano.

N. I.



Etiò hæc causa fuit proposita, & Domini adhuc *Tertia de-*
responderunt standum esse in decisio, quia *ciſio, quæ*
primis ſta-
tur. *Ioannes*
Saunecur fundat intentionem suam super valida ele-
ctione Capituli, & Confirmatione Episcopi, ut in
primis decisionibus abundè fuit firmatum; *Novilia* autem tanquam præ-
tensus proviſus à sede Apostolica, & de eadem dignitate Decanatus tan-
quam de prima in Collegiata non iustificat narrativam suarum literarum;
quia tam de iure Decanalis dignitas non est prima, *c. quamvis. 9. de verbor.*
signif. Oldrad. conf. 281. n. 1. quàm de consuetudine generali Germaniæ, de
qua testatur Rota *decis. 4. de elect. in nov.* affirmando Præposituralè digni-
tatem esse primam in Ecclesiis Regionis prædictæ, cum qua concurrat al-
tera assertio, de qua in Bulla Concordatorum Leodiensium, in qua po-
nitur hæc S. Bartholomæi Præpositura, & dicitur Præposituras esse pri-
mas dignitates, & dantur duæ provisiones Apostolicæ de hac S. Bartho-
lomæi Ecclesia tanquam de prima dignitate: & his accedunt testes *Novi-*
lia consentientes esse primam dignitatem; ex quibus in primis decisioni-
bus excluderentur obiecta contra electionem *Saunecur*, quod scilicet non
fuisse servata forma *c. quia propter. de elect.* ex quo prædicta forma non
erat servanda in electione dignitatum, per quatum vacationem Ecclesiæ
non viduantur, prout non viduantur per obitum obtinentium inferio-
res dignitates, ut latè fuit firmatum in decisionibus causæ.

II. Neque relevant, quæ hodie replicata fuerunt, quod licet Præpo-
situs habeat primam sedem in Choro, & habeatur tanquam prima di-
gnitas ad effectum reservationis, attamen nihil commune habeat cum
Capitulo, aut ei præsit, ut idè nec Præsident, aut Prælatus, aut digni-
tas in ea dici possit, *Gemin. inc. 1. n. 7. vers. est ergò. de consuetud. in 6.*
Add. ad decis. 4. de prob. in nov. Selva de benef. part. 1. q. 2. n. 71. & seq.
Quia hæc distinctio, ultra quod ex allegatis non probatur, neque in pri-
mo, neque in secundo capite, caret etiam ratione, nam distinguere
effectus reservationis, & prioritatis, aliud non est, quàm admittere duo
capita in eodem Collegio & Ecclesia, quod monstruosum reputatur, & in

Fz

iure

iure damnatur, ut in *decis. s. de elect. in nov.* ponderatum. Valet quidem argumentum, non præsidet, ergò non est Prælati, aut principalis dignitas; sed alter obtinet principalem dignitatem, & primam sedem in choro, alter verò administrat & imperat, ergò est prima dignitas ista, quæ administrat, non bene consequuntur; quia possunt contingere ex privilegio aut præscriptione, absque læsione status principalis dignitatis in suo esse, quod sit caput & sponsus Ecclesiæ; & per hanc rationem cessant argumenta à iurisdictione Archidiaconi, & cura animarum, quæ illi annexa prætenduntur, quia si cessarent probationes istius qualitatis prioralis, bene deservunt tanquam signa ad distinguendum statum primæ dignitatis; sed admissio, quod plenè iste status sit probatus, prout verè probatur ex iam relatis, non est opus coniecturis aut signis circa ea, quæ clarè patèt, ut iustificentur in sua qualitate, *l. continuus ff. de verbor. oblig. l. cum de indebito. ff. de probat. surd. decis. 194. n. 20.*

*Et per e-
ius, non au-
tem Deca-
ni mortem
Ecclesia
viduatur.*

III. Minùs vitum fuit ob stare, quod hodie prætendatur probari Ecclesiam viduari per obitum Decani, ex duabus attestationibus Cleri Leodiensis, & ex tribus enunciativis emanatis in tribus electionibus Decanatus, ac iuramentis eorundem, & auctoritatibus eorum, qui de dignitate Decanorum scripserunt. Quia assertiones Cleri adversus assertionem Papæ in Bulla Concordatorum non præponderant, similiter & enunciativæ electionum cedere debent enunciativis Papæ, tanquam de Præpositura prima dignitate, quæ emanant in duabus provisionibus Apostolicis; & iuramenta Decanorum confunduntur cum iuramentis Præpositorum, quorum forma data fuit, postquam ex eodem contextu apparet, quod deservio in arduis spectet ad eundem Præpositum. Ac demum auctoritates & historiæ non relevant contra veritatem, nam eis tantum creditur, quantum auctoritate comprobata sunt *Dec. in c. cum causam. 13. n. 8. de probat. Paris. conf. 23. n. 152. lib. 1. Menoch. conf. 112. n. 70. lib. 2.* & cum auctoritate Papæ in Bullis Concordatorum, & à testibus eiusdem *Novilia* nuncupetur hæc Præpositura prima dignitas, satis improbantur, ut illis fides non adhibeatur. Et ita fuit resolutum. Hactenus Rota.

*Prædicta-
rum de-
cisionum
confirma-
tio.*

§. 7. Insuper præmissæ decisiones Rotales circa formam electionis *c. quia propter*, in dignitatibus maioribus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis necessariò observandam, confirmatæ fuere ab eadem Rota Romana *in una Leodiens. Abbatiæ. 19. Januarii 1633.* per insigni decisione ad favorem *q. Ioannis à Chokier* Vicarii in spiritualibus Generalis Leodiensis emanatâ, quam, ne prolixior sim, hîc omitto.

§. 8. Ser-

§.8. Servanda quoque est prædicta forma in electione Prælatorum quarumcumque Ecclesiarum Regularium, super quo omnem ambiguitatem iustulit sacra Tridentina Synodus, quæ d.c. quia propter. minimè derogavit, sed & sess. 25. cap. 6. de regular. statuit hisce verbis. *In electione superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant: imprimis sancta Synodus districtè precipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta: ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces & suffragia absentium supplere. Si verò contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit, & is, qui ad hunc effectum se in Provinciale, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat; facultatesq. super his concessæ eo ipso abrogatæ censeantur, & si in posterum aliæ concedantur, tanquam subreptitiæ habeantur. Videantur super his decisiones Rotales supra §. 4. & 5. citatæ.* Et hæc de forma in electionibus Ecclesiarum & dignitatum servanda attigisse sufficiat, iam ad alia progrediamur.

Et in quibuscumque Prælaturis regularibus.

§.9. Respondeo secundo, in vim prædictorum Concordatorum Pontificiæ dispositioni reservari nominatim collationem & provisionem maiorum dignitatum in Cathedralibus post Pontificalem, & principalium in Ecclesiis Collegiatis, in quocumque mense vacantium, ut patet ex tenore eorundem Concordatorum supra num. 5. ubi Papa concedit de cæteris dignitatibus, & beneficiis quibuscumque, tam sæcularibus, quàm regularibus in sex Ordinariorum mensibus infra designandis vacantibus, per eosdem Ordinarios posse disponi (maioribus dignitatibus post Pontificalem in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis) quæ etiam per Regulam III. nunc IV. Cancellariæ Apostolicæ expressè sunt reservatæ, de quo vide Garciam de benef. part. 5. cap. 1. §. 5. num. 256. Chokier ad reg. 1. sub n. 23. casu 15. & ad reg. 3. n. 6. Layman Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 11. num. 1. Barbof. de off. & potest. Episcopi. part. 3. alleg. 57. num. 24. & seq.

Insuper Concordatæ reservantur Papæ maiores dignitates in Cathedralibus, & principalibus in Ecclesiis Collegiatis in omni mense.

*Videlicet
Præposi-
turas.*

§. 10. Maiores porrò dignitates post Episcopalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis communi omnium passim locorum per Germaniam usu censentur Præposituræ, *Chokier ad reg. 3. cancell. n. 20. Layman loco supra cit. Rotæ decis. 4. in nov. de elect. & in decisionibus supra hoc tit. & dub. post § 6. adductis.* Vbi tamen in Collegiatis nulla existeret Præpositura, Decanatus vicem principalioris dignitatis obtineret.

*Idq. fuit
per Rotam
Romanam
sæpè decla-
ratum &
decisum.*

§. 11. Quin pro omni ambiguitate circa hanc reservationem Pontificiam tollenda, id ipsum crebris Rotæ Romanæ decisionibus fuit definitum & confirmatum, uti videre est *part. 2. recent. decis. 580. & apud Branden. ad Concordat. quest. 12. notab. 3.*

*Leodienses
gaudent
peculiaribus
privilegiis
eligendi
Præpositos.*

§. 12. Verùm ab hac reservatione excipiuntur Leodienses, quos speciali Concordato, privilegio & prærogativa coonestavit *Sixtus V.* Pontifex Maximus anno salutis 1585. Pontificatus sui primo, dum præactas dignitates electivas, tam in Civitate, quàm tota Diocesi Leodiensi voluit non comprehendi sub hac, & quibuscumque Regulis reservatoriis, aut aliis in corpore juris non clausis; sed reliquit liberæ electioni inferiorum, dummodò tamen intra 30. dies à die vacationis computandos electio fiat, & confirmatio petatur à S. Sede infra sex menses à die electionis numerandos, alias eiusmodi electiones nullas declarat, suæq; & successorum suorum dispositioni reservat: nec eiusmodi electioni voluit præiudicium aliquod afferri per quascumque collationes, provisiones, commendas, vel qualvis alias in contrarium auctoritate Apostolicâ factas dispositiones, etiam cum speciali derogatione horum privilegiorum & Concordatorum, prout apparet ex dicta Constitutione extensè posita à *Chokier. ad reg. 3. cancell. sub num. 16.* Quam *Urbanus* Papa VIII. non solum confirmavit, sed insuper indulxit, nullas prædictarum Præpositurarum resignationes, simplices cessiones, vel etiam coadiutorias admittendas esse, nisi in favorem Canonicorum eiusdem Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, cuius privilegii Apostolici tenorem pro maiori notitia hinc inferere libuit.

VRBA-